

Gi
20
89.40







FLAVIUS JOSEPHUS.

FLAVIUS JOSEPHUS

DER

FÜHRER UND IRREFÜHRER DER PILGER

IM

ALTEN UND NEUEN JERUSALEM.

MIT EINER BEILAGE

JERUSALEM DES ITINERARIUM BURDIGALENSE ENTHALTEND

HERAUSGEGEBEN

VON

JAKOB BERGGREN,

D. THEOL. DR., PROBST UND PFARRER ZU SKAELLVIK BEI SOENDERKOEPING.

LEIPZIG,

T. O. WEIGEL.

1854.

SR. HOCHWÜRDEN

DEM HERRN

H. L. FLEISCHER

D. THEOL. DR. UND ORDENTL. PROFESSOR DER MORGENL. SPRACHEN AN DER UNIVERSITAET ZU LEIPZIG U. S. W.

HOCHACHTUNGSVOLL GEWIDMET

VOM VERFASSER.

VORWORT.

Seit dem Jahre 1822, als ich Syrien und Palästina nach einem neunzehnmonatlichen Anfenthalte daselbst verliess, sind werthvolle Reisebeschreibungen, die in geographischen und geologischen Angaben der Hauptsachen nach mit einander übereinstimmen, und gute, mit gründlicher Sachkenntniss und geometrischer Zuverlässigkeit verfasste Karten über diese klassischen und an grossen Erinnerungen reichen Länder in grosser Menge von ausgezeichneten Gelehrten und tiefen Forschern herausgegeben, so dass man hiernach schwerlich von spätern Reisenden besonders grosse, neue und wichtige Mittheilungen in physischer und geographischer Rücksicht zu erwarten hat. Was dagegen die vielen speciellen Planzeichnungen und Monographien betrifft, welche mehrere von diesen Gelehrten über Jerusalem, wie es heutiges Tages steht und wie es einst vor der Zerstörung unter Titus dastand, von Zeit zu Zeit mitgetheilt haben, so findet sich bei denselben im Allgemeinen der Unterschied und Mangel an Befriedigung, dass sie gewöhnlich durchaus nicht mit einander übereinstimmen, weder in Bezug auf die einzelnen hauptsächlichen Localitäten noch auf den ursprünglichen Umfang der Stadt im Ganzen genommen. Wo nämlich der Eine eine Localität nach Norden oder Süden verlegt, verlegt ein Anderer dieselbe nach Osten oder Westen, und wenn der Eine mit unwidersprechlicher Gewissheit das jetzige Jerusalem, nur mit Ausnahme der geringern Theile von Zion und Moriah, welche jetzt ausserhalb der Mauern liegen, dem Umfange nach völlig gleich gross mit der heiligen Stadt, wie sie vor der Belagerung und Zerstörung durch die Römer unter Titus war, haben will, so erweitert oder beschränkt ein Andrer ihren Umkreis bald mehr, bald minder, ohne dass auch nur zwei von Allen in dieser Rücksicht völlig mit einander übereinstimmen. Gleichsam als ob es von einem widrigen Schicksale beschlossen wäre, dass in dieser Rücksicht nie Uebereinstimmung herrschen sollte, ist das Verhältniss mit den Beschreibungen von Jerusalem wohl immer dasselbe gewesen schon seit dem nach dem Neubau der Stadt durch Hadrianus zuerst geschrie-

benen Itinerarium Burdigalense vom Jahr 333, bis auf die zuletzt herausgegebenen Reisebeschreibungen, und so wird wahrscheinlich das Verhältniss fortdauernd dasselbe bleiben, dafern nicht früber oder später eine eindringende Beleuchtung aller, obwohl bisher so verschieden und ungleich verstandenen und gedeuteten Mittheilungen über die Topographie des alten Jerusalem, welche Josephus giebt, in Vereinigung mit genauen localen Forschungen zu mehr übereinstimmenden Resultaten führten, als es bisher der Fall gewesen ist.

Grade weil ich dies eben so sehr wünsche als hoffe, dass nämlich einmal Josephus, von Allen gleich aufgefasst und verstanden, den Weg zu einer, wenn auch nicht vollkommenen, doch wahrscheinlich weit grössern Einigkeit und Uebereinstimmung der Ansichten führen wird, zunächst über den wahren und wirklichen Umfang des alten Jerusalem im Ganzen, und dann zugleich über einzelne, sichere und bestimmte Localitäten als gegebene Ausgangspuncte für eine nochmalige, zukünftige neue Topographie des jetzigen Jerusalem, verglichen mit dem alten, — so habe ich hier, mit ehrerbietiger und schuldiger Werthschätzung der Verdienste, welche ein jeder meiner gelehrten Vorgänger erworben hat, und ohne allen Anspruch auf irgend welche Infallibilität, das Hauptsächlichste und Vorzüglichste, was Josephus an zerstreuten Stellen theils in den Antiquitäten, theils im Bellum Judaicum über die Topographie des alten Jerusalem nicht nur vollständig, sondern auch, so weit ich ihn verstanden habe, ohne sich irgendwo in der Hauptsache zu widersprechen, mitgetheilt hat, zu einem kleinen portativen Vademecum für künftige Pilger gesammelt und, so gut ich es vermocht habe, mit erläuternden Commentarien herausgegeben.

Indem ich aufrichtig wünsche, dass dieses Büchlein das Glück haben möge, sowohl mit Nachsicht wegen seiner Geringfügigkeit, als auch mit Wohlwollen für ein anspruchsloses Wohlmeinen von Denen aufgenommen zu werden, welche unter kenntnissreichen und forschenden Pilgern in Zukunft Jerusalem, die merkwürdigste Stadt der Erde, besuchen werden, so kann ich nicht umhin, schliesslich noch mit Anerkennung der Mühewaltungen zu gedenken, denen sich ein Leipziger Freund bei der Herausgabe nachfolgender Bogen bereitwillig unterzogen hat. Auf seinen Rath ist die Beschreibung Jerusalems aus dem alten, werthvollen Itinerarium Burdigalense als Beilage hinzugegeben.

Vergesse ich dein, Jerusalem, so werde meiner Rechten vergessen! Meine Zunge müsse an meinem Gaumen kleben, wo ich dein nicht gedenke, wo ich nicht lasse Jerusalem meine höchste Freude sein! Psalm 137, v. 5. 6.

Stockholm und Skällvik, im Junius 1853.

J. BERGGREN.

I.

DIE OBERALTSTADT ODER SION, DIE UNTERALTSTADT ODER AKRA, DIE OBERNEUSTADT ODER OBERBEZETHA (CAENOPOLIS SUPERIOR), DIE UNTERNEUSTADT ODER UNTERBEZETHA (CAENOPOLIS INFERIOR), DER TEMPELBERG ODER MORIA, DIE TEMPELBURG ODER ANTONIA.

§. 1. Civitas trino muro circumdata erat, nisi qua vallibus inviis cingebatur, ex ea namque parte unius muri habebat ambitum, et ipsa quidem supra duos colles erat condita, contrariis frontibus semet inspicientes, interveniente valle discretos, in quam domus creberrimae desinebant.

§. 2. Collium vero alter, quo superior civitas sedet, multo est excelsior, et in prolixitate directior, adeo ut quoniam tutus erat, castellum a David quondam rege vocaretur, a nobis autem forum superius.

§. 3. Alter autem, qui appellatur Acra, inferiorem sustinet civitatem, et undique declivis est.

§. 4. Contra hunc autem tertius collis (Moria) erat, natura humilior quam Acra et alia lata valle ante divisus, verum postea, qua tempestate Asamonaei regnabant, et vallem aggeribus repleverunt, ut templo conjungerent civitatem, et Acrae altitudinem caesam humiliorem fecerunt, ut ex ea quoque fanum supereminens cerneretur.

§. 5. Vallis autem, quae Tyropoeon vocatur, qua diximus superioris civitatis collem dirimi ab inferiori, usque Siloam pertinet, ita enim fontem, qui dulcis est ac plurimus, vocabamus.

§. 6. Foris autem civitatis duo colles (Sion et Moria) profundis vallibus cingebantur, et utrinque obstantibus rupibus, nulla ex parte adiri poterant. — Jos. B. Jud. 5, 4, 1.

§. 7. Quin et quartus collis incolebatur. cui nomen est Bezetha, situs quidem ex adverso Antoniae, fossis autem altissimis separatus, quae de industria ductae sunt, ne Antoniae fundamentis colli cohaerentibus, et

accessui facilis sit, et minus edita, unde etiam fossae altitudo plurimum turribus celsitudinis adjiciebat. —

Nominata autem est pars addita civitati voce indigena Bezetha, quod latino sermone dicitur Nova Civitas (Caenopolis). — B. Jud. 5, 4. 2.

§. 8. Bezetha autem collis (B. inferior), ita ut dixi, ab Antonia separabatur; qui cum omnium esset altissimus (B. superior), etiam parti novae civitatis conjungebatur, temploque septentrionali solus obstabat (B. inferior). — B. Jud, 5, 5, 8.

II.

DIE DREI MAUERN JERUSALEMS, WELCHE SOWOHL DIE BEIDEN ALTSTAEDTE MIT DEM TEMPELBERGE UND DER TEMPELBURG, ALS DIE BEIDEN NEUSTAEDTE UMSCHLOSSEN.

§. 9. Trium vero murorum vetustissimus quidem, propter valles, imminentemque his desuper collem, quo erat conditus, facile capi non poterat. Ad hoc autem, quod loco praestabat, etiam firmissime structus erat, David et Solomonis aliorumque interea regum largissimis impensis operi insumptis.

Hac autem parte incipiens a turri, cui nomen est Hippicos, et ad eam quae dicitur Xystus pertinens, deinde Curiae conjunctus, in occiduam templi porticum desinebat.

Parte autem altera ad occidentem ex eo loco ductus, per eum qui vocatur Betbso, descendens in Essenorum portam, deinde supra fontem Siloam in meridiem flexus, atque inde rursus in orientem versus, qua Stagnum Solomonis est, et usque ad locum pertinens, quem Ophlan vocant, cum orientali porticu templi conjungitur.

§. 10. Secundus autem murus a porta quidem habebat initium, quam Gennath appellabant; haec autem fuerat muri prioris. Septentrionalem vero tantummodo tractum ambiens, usque ad Antoniam ascendebat.

§. 11. Tertio muro turris Hippicos principium dabat, unde ad Boreae tractum pertinens, deinde ad Psephinam turrim veniens, contra monumentum Helenae, quae Adiabenorum regina fuerat, Izatae regis mater, et per Speluncas regias in longum ductus, a turri quidem in angulo posita flectebatur contra Fullonis quod dicitur monumentum. Cum vetere autem ambitu junctus, in Cedronem vallem, quae sic dicitur, desinebat.

§. 12. Hoc muro eam partem civitatis, quam ipse addiderat Agrippa, cinxerat, cum esset omnis ante nuda; exuberans enim multitudine, paulatim extra moenia serpebat, templique septentrionali regione, colli proxima, civitati adjuncta, non paululum processerat. Quin et quartus collis incolebatur, cui nomen est Bezetha etc. vide antea I. §. 7. — B. J. 5, 4, 2.

§. 13. Ejus autem partes incolis protegi desiderantibus, pater hujus regis, eodem nomine Agrippa, murum quidem, ita ut praediximus, inchoarat. Veritus autem Claudium Caesarem, ne magnificentiam constructionis ad novarum rerum ac discordiae suspicionem traheret, fundamentis tantummodo jactis, ab opere destitit. Nec enim expugnabilis esset civitas, si perfecisset muros ut coeperat. Saxa enim viginti cubitis longa, et decem lata contexebantur, quae neque ferro facile suffodi possent, neque machinis dimoveri: hisque murus dilatabatur. Profecto altitudinis quoque plus habuisset, si ejus magnificentia, qui aedificium aggressus erat, minime fuisset inhibita. Rursus autem idem murus etiam Judaeorum studio fabricatus, ad viginti cubitos excrevit, et minas quidem binis cubitis, propugnacula vero trinis habebat, totaque altitudo ad viginti quinque cubitos erigebatur.

§. 14. Murum autem supereminebant turres, viginti quidem cubitis in latitudinem, viginti vero in altitudinem, quadratis angulis structae, et sicut ipse murus plenae ac solidae. Praeterea structura ac pulchritudo saxorum nihil erat templo deterior. Post altitudinem vero, turrim solidam viginti cubitis elatam, cellae desuper ac coenacula erant, aquarumque pluvialium receptacula, et tortuosi latique singularum ascensus.

§. 15. Ejusmodi quidem turres nonaginta tertius murus habebat, earum autem intervalla cubitos ducentenos. Medius vero murus in quatuordecim turres, et antiquus in sexaginta divisi erant.

§. 16. Omne autem civitatis in gyro spatium triginta tribus stadiis finiebatur.

§. 17. Psephina turris, ad septentrionem occidentemque, surgebat in angulo, qua parte Titus castra posuerat. Ex ea namque, per septuaginta cubitos edita, sole orto Arabia prospici poterat, et usque ad mare, itemque ad ultimum finium Hebraeorum. Erat autem octo angulis.

§. 18. Contra eam turris Hippicos, et juxtae duae (Phasaelos et Mariamne), quas Herodes rex in antiquo muro aedificaverat. — Ipse antiquus murus, in quo erant, excelso loco fuerat conditus, et ipsius collis velut quidam vertex altius prope ad triginta cubitos eminebat, supra quem turres positae multum sublimitatis assumpserant. — His in septentrionali parte positis, intus aula regia conjungebatur. — B. J. 5, 4, 2—4.

§. 19. Conversus (Agrippa I.) ad Hierosolymorum curam, muros novae quae vocatur civitatis permuniit sumptu publico, latioresque et altiores quam antea fuerant reddidit; et fecisset adversus omnem humanam vim inexpugnabiles, ni Marsus, Syriae praeses, Claudio Caesari significasset eam rem per litteras, qui — diligenter scripsit Agrippae, ut a munienda urbe desisteret. — Antiquit. Jud. 19, 7, 2.

III.

DIE UMWALLUNG ODER BELAGERUNGSMAUER DES TITUS.

§. 20. Titus cum ducibus quid fieret deliberabat. Ipsi videbatur debere totam muro cingere civitatem; hoc enim modo omnes exitus posse praecludi, Judaeos aut omnibus modis salute desperata, civitatem tradituros, aut fame victos facillime capiendos. Divinus quidam impetus militibus incidit.

§. 21. Coeptum a Castris Assyriorum, ubi ipse tendebat, ad inferiorem Caenopolim murum duxit. Hinc per Cedronem ad Olivarum montem revertens, a meridie montem complectitur, usque ad saxum, quod Peristereonos vocatur, eique proximum collem, qui super vallem imminet Siloam, ac inde ad occidentem flexo aedificio, ad vallem fontis descendit. Hinc subiens ad Anani pontificis monumentum, circumdato monte, ubi Pompejus castra posuerat, ad septentrionalem redit regionem. Et cum processisset ad vicum, cui nomen est Cicerum domus, post illum Herodis monumentum, ab oriente clausum, castris suis conjunxit, unde coeperat.

§. 22. Murus quidem uno minus quadraginta stadiorum erat. Ad hoc autem foris castella tredecim aedificata sunt. Eorum gyrus denis stadiis numerabatur. Totum autem opus triduo constructum est, ut id quidem dignum mensibus videretur, celeritas vero fide careret. — B. J. 5, 12, 1—2.

IV.

DIE BELAGERUNGEN JERUSALEMS.

ANTIOCHUS EPIPHANES.

§. 23. Reversus ab Aegypto, quam metu Romanorum reliquerat, rex Antiochus ad Hierosolymitarum urbem movit exercitum, et ingressus est eam. Admissus, apertis portis per suae factionis homines, spoliato templo et ablatis vasis sacri ministerii, habitatores partim necavit, partim captivos abduxit, usque ad decem millium numerum. Incendit etiam aedificiorum ejus quidquid erat pulcherrimum; et demolitus moenia, in inferiore urbe arcem condidit. Erat enim editiore loco sita, ipsi templo imminens; quapropter bene prius firmatae moenibus ac turribus, Macedonicum praesidium impositum. — A. J. 12, 5, 3—4.

V.

DIE MACCABAEER.

§. 24. Circumdatis urbi moenibus, et exstructis in eis firmis turribus, custodias ad arcendum hostem (Macedones) imposuit (Judas Maccabaeus). — A. J. 12, 7, 7.

§. 25. Interea qui Hierosolymitanae arcis praesidium tenebant Macedones cum Judaeorum profugis multa Judaeis inferebant incommoda. Excurrentes enim in eos, qui sacrorum causa templum adibant, conficiebant eos non magno negotio, quod arx ipsi templo esset supra verticem. Quamobrem Judas necesse habuit, oppugnare id praesidium, advocatis ad id totius populi viribus. — A. J. 12, 9, 3.

§. 26. Jonathas et Simon (fratres) reversi sunt Hierosolyma. Ibi pontifex, advocata in templum concione populi, suasit ut reficerent urbis moenia, et murum, quo templum septum fuerat (quem Antiochus Eupator destruxerat) rursum reficerent, turribusque altis additis, munitiorem redderent; utque alium murum excitarent inter arcem et urbem, atque hoc pacto excluderent eos (Macedones), qui arcem custodiebant, et ad commeatuum penuriam eos adducerent. — A. J. 13, 5, 11.

§. 27. Tanto in honore apud populum fuit Simon, ut tam in privatis instrumentis quam in scripturis publicis adjicerent: actum esse anno primo Simonis, Judaeorum ethnarchae, optime de gente sua meriti. ——— Expugnata Hierosolymorum arce, solo eam aequavit, ne posthac esse posset hostibus receptaculum, neve inde urbi aliquod inferretur incommodum. Quo facto, visum est ei operae pretium, si mons quoque, in quo sita fuerat, complanaretur, ut solum templum emineret. ——— Adeoque permotus est ejus exhortatione populus, ut, non intermisso per triennium neque die neque noctu opere, tandem ad planitiem eum locum indefesso labore per vices sibi succedentes redegerint, atque ita nihil reliquerint quod obstaret, quominus templum omnibus in urbe locis esset longe celsius. — A. J. 13, 6, 7.

VI.

ANTIOCHUS PIUS.

§. 28. Antiochus (cognom. Pius) Hyrcanum (Simonis filium) in urbem ipsam compulit. Eam septenis castris cum cinxisset, primum nihil proficiebat, propter firmitatem moenium. — Postremo ad septentrionalem muri partem, qua planior erat aditus, excitatis centum turribus, quotidie tentabat moenia, duplicique fossa, longa simul et lata, cunctis Judaeis praeclusit omnem exitum. — A. J. 13, 8, 2.

VII.

DIE PARTHER.

§. 29. Quae dies postquam illuxit, multa hominum millia circa templum congregata sunt, tam armatorum quam inermium, qui et templum

et urbem occupaverunt, excepta Regia; hanc enim Herodes servabat cum paucis militibus. Ejus murum Phasaelus (Herodis frater) custodiebat: Herodes vero cum suorum cohortibus erupit in hostem (Parthos), agentem in Suburbio, et egregia pugna edita, coëgit multa millia terga vertere, fugientia partim in urbem, partim in templum, partim etiam intra vallum quoddam, in propinquo positum. — A. J. 14, 13, 4.

VIII.

POMPEJUS.

§. 30. Additis Aristobulo custodibus, Pompejus (de Damasco per Hierichuntem) ad urbem properat, caetera quidem probe munitam, tantum a septentrionali latere injuriis expositam. Circuit enim ea parte vallis lata et profunda templum ambiens, quod muro valido, e saxo structo, cingitur.

Quidam censebant urbem Pompejo dedendam: Aristobuli vero factio excludi eum jubebat et bellum parari, eo quod illum (Aristobulum) haberet in vinculis. Hi, praevenientes alteros, templum occupant, et praeciso ponte qui in urbem ferebat, ad bellum se expediunt. At illi, intromisso exercitu, tradiderunt Pompejo urbem et regiam. Ille Pisoni, legato suo, misso eo cum parte exercitus, et urbis regiae commisit custodiam: ipse vicinas templo domos, aliaque propinqua aedificia muniebat, omniaque quae circum erant, oppugnationi paravit, Hyrcano alacriter suppeditante quidquid usus posceret. Pompejus vero a septentrionali templi latere, quod maxime erat oppugnationi obnoxium, admovit milites. Erant autem hac quoque parte turres altae, et fossa manu facta, praeter profundam vallem, quae templum cingebat. Nam etiam versus urbem abrupta erant omnia, sublato ponte, qua parte Pompejus erat cum suo contubernio, erigebantque quotidie magno labore aggerem Romani, caedentes circumquaque arbores. Quod opus ubi perfectum est, aegre completa fossa propter immensam altitudinem, admotis machinis a Tyro advectis, quatiebant templum saxis missilibus — Erigebant (Romani) aggerem et turres —

Capto templo tertio demum mense, die jejunii, 179. Olympiade, C. Antonio, M. T. Cicerone Coss. hostis quidem irrumpens jugulabat omnes obvios. — A. J. 14, 4, 1—3.

§. 31. Hyrcano patriae moenia restituere permisit (Julius Caesar), roganti hanc gratiam; jacebant enim usque ad id tempus, ex quo a Pompejo fuerant diruta — — deditque hac de re in urbem literas ad consules, ut decretum hoc scriberetur in Capitolio. — Porro Caesar, ordinatis rebus Syriae, cum classe profectus est. Antipater autem, deducto

Caesare, in Syriam reversus, ante omnia disjecta per Pompejum moenia restituit. — A. J. 14, 8, 5; 9,1.

§. 32. Qui cum Hyrcano sentirent, Pompejo portas aperiri (censuerunt dignum esse) — Victa pars Aristobuli concessit in templum; et ponte, qui ab eo civitati jungebatur, abscisso, ut ad ultimum usque resisteret, instruebatur. Cum autem alii Romanos recepissent in civitatem, hisque domum regiam tradidissent, ad haec obtinenda Pompejus Pisonem cum militibus intromittit; isque, praesidiis in civitate dispositis, omnia, quae circum erant, oppugnationi parabat. Ipse vero (Pompejus) ad partes septentrionales fossamque vallemque replebat, omni genere materiae per milites comportato, cum per se opus esset difficillimum propter immensam altitudinem — Igitur valle repleta, et impositis aggeri turribus, admotisque machinis Tyro allatis, moenia tentabant — Mense obsidionis tertio vix una turre dejecta, in fanum irruptum est. Primus autem murum transcendere ausus est Syllae filius, Faustus Cornelius. — B. J. 1, 7, 2—4.

IX.

HERODES.

§. 33. Herodes, receptis e Masada domesticis, et capto Ressa castello, petebat Hierosolyma, sequentibus Silonis militibus et multis Hierosolymitanis ejus potentia perterritis. Cumque ad occidentalem urbis tractum castra posuisset, caduceatorem clarigare jussit circa moenia, se bono publico venisse. — A. J. 14, 15, 2.

§. 34. Venit Hierosolyma (Herodes), et castra prope urbem metatus est, quibus mox propius admotis, qua maxime oppugnationi obnoxia putabat moenia, ante templum fixit tentoria, volens sic ea, quemadmodum olim Pompejus, aggredi; et tribus aggeribus ei loco circumdatis, turres erexit, adjutus operarum multitudine. — A. J. 14, 15, 14.

§. 35. Venit rex (Herodes) a Samaria. Omnes (ejus copiae) confluebant ad Hierosolymorum moenia, et assidebant septentrionali urbis lateri — Captus est primus murus die quadragesima, secundus vero quintadecima, et quaedam porticus circa templum exustae sunt, quas Herodes Antigonum incendisse calumniabatur, volens in eum concitare invidiam populi. — Capta vero exteriore templi parte et ima urbe, Judaei ad interiora templi et superiorem urbem refugerunt. —

Rex totis viribus adortus urbem expugnavit, moxque omnia repleta sunt caedibus. — Antigonus quoque descendit e turri, Sosioque ad genua procidit; sed vincto custodes addidit. — A. J. 14, 16, 1—2.

§. 36. Ubi rigor hiemis cessit, Hierosolymam repetiit Herodes; murisque admoto milite, pro templo castra posuit, qua facilior erat

expugnatio, et antea Pompejus ceperat civitatem. Universo exercitu congregato, prope a septentrionali muro castra collocarunt — Per quinque menses obsidium toleraverunt (Judaei), donec quidam ausi murum transgredi, civitatem irrupere. Igitur ante omnia fano proxima capiebantur, et infuso exercitu plurima ubique mors erat. — Antigonus domo descendit. — B. J. 1,17, 8—9; 18, 2.

§. 37. Athletica certamina quinto quoque anno in honorem Caesaris instituit (Herodes), theatro Hierosolymis exstructo: deinde in campo amphitheatrum, utrumque sumptuoso opere conspicuum, sed alienum a Judaicis moribus. — A. J. 15, 8, 1.

X.

SABINUS.

§. 38. Igitur instante pentecoste, confluxerunt undique multa millia non solum religionis gratia, verum etiam indigne ferentes Sabini intemperias, omnes cupientes poenas a Sabino expetere; partitique trifariam (Judaei), hoc modo castra faciunt: Pars una Circum occupat, reliquarum duarum altera templum a septentrionali et orientali regione circumsidet, ab occidentali altera, qua sita erat domus regia. Ita inclusos undique Romanos oppugnare etiam parabant. — A. J. 17, 10, 2.

§. 39. In tripartita manu terna castra collocaverunt (Judaei rebelles), uua in septentrionali regione templi, altera in meridionali Hippodromum versus, tertiaque in occiduo prope regiam tractu, circumsessosque Romanos undique obsidebant. Sabinus perterritus in altissimam castelli turrim, quae Phasaelus vocabatur, evadit. Hinc legionariis, ut in hostes (Judaeos) irruerent, signum dabat. Ejus praecepto milites obedientes in templum volant, vehementique cum Judaeis pugna confligunt — Judaei ab utrisque afflicti succendunt porticus. — B. J. 2, 3, 1—3.

XI.

CESTIUS.

§. 40. Populus quidem a seditiosis custodiebatur, ipsi autem (seditiosi) Romanorum disciplina territi, exterioribus cessere partibus civitatis, et in partem interiorem templi refugerunt — Cestius vero transgressus Bezethâm, quae sic vocatur, et Caenopolim et forum, quod appellatur Materiarum, incendit. Deinde cum ad superiorem civitatem venisset, prope aulam regiam castra posuit. Et si tunc voluisset intra muros violenter irrumpere, civitatem illico possedisset, belloque finem dedisset. Sed Tyrannius Priscus, praefectus castrorum, et plures equitum magistri,

a Floro pecunia corrupti, conatum ejus (Cestii) averterunt. Per dies igitur quinque, Romanis undique tentantibus, frustrabatur conatus; sexto autem Cestius cum plurimis selectis, itemque sagittariis, a septentrionali tractu templum aggreditur, Judaeis ex porticu resistentibus, qui frequenter quidem Romanos, ad murum adeuntes, averterunt, postremo autem repulsi telorum multitudine, recesserunt; et profecto, si paululum in obsidione perseverasset (Cestius), statim civitatem obtinuisset. Sed repente militem revocat, et inconsulte nimis ac injuste discessit, Romanorum et Auxiliarium 5300 peditum itemque 980 equitibus interemptis. — B. J. 2,19, 4—7. 9.

XII.

DIE REBELLHAEUPTER DER JUDEN, SIMON UND JOANNES.

§. 41. Tenebat Simon superiorem civitatem, murumque majorem usque ad Cedronem, et autiquioris muri, quantum a Siloa flectitur ad orientem, et usque ad Monobazi aulam descendit. Tenebat etiam montem Acrae, quae inferior est civitas, usque ad Helenae regiam (quae in media erat Acra). —

Joannes autem templum obtinebat, et circum templum aliquatenus, itemque Ophlam, et vallem quae Cedron appellatur. — B. J. 5, 6, 1.

XII.

TITUS.

§. 42. In Gopbnam per Samaritidem venit (Titus), quae et prius ab ejus patre fuerat occupata, et tunc praesidiis tenebatur. Inde proficiscitur, peractaque diei mansione, castra ponit in loco, quem Judaei sermone patrio Spinarum vallem vocitant, juxta vicum Gabath-Saul, quod significat collem Saul, distantem ab Hierosolymis stadiis fere triginta. Hinc sexcentis prope lectis equitibus comitatus, perrexit in civitatem, quam tuta esset, Judaeorumque animos exploraturus. Quamdiu quidem per viam, quae ad murum duceret, equitabat, nemo ante portas apparuit; ubi vero itinere ad turrim Psepbinam declinato, transversum agmen equitum duxit, infiniti subito prosiliunt, qua Muliebres Turres vocantur, et per eam, quae contra monumentum Helenae porta est, egressi, equitatum intercidunt. — B. J. 5, 2, 1—2.

§. 43. Caesar ad Scopon accedit, unde jam et civitas et clara templi magnitudo conspici poterat; qua parte septentrionalem regionem civitatis contingens locus humilior, proprie Scopos nominatus est, distans a civitate stadiis septem, ibique duabus legionibus simul, quintae legioni vero retrorsum stadiis tribus castra muniri jubet. Labore namque nocturni



itineris attritos milites progredi visum est, ut sine formidine murum struereut. Mox autem, coepto aedificio, decima quoque legio per Hierichuntem aderat. — His praeceptum erat sexto ab Hierosolymis stadio castra ponere, qua in parte mons, qui appellatur Olearum, contra civitatem ab oriente situs est, altaque interjacente valle discernitur, cui nomen est Cedron. — Murum in summo montis aedificandum jubet. — B. J. 5, 2, 3—4.

§. 44. Mons Oliveti e regione urbis ad quintum abest stadium. — A. J. 20, 8, 6.

§. 45. Titus castra propius civitatem transferre cupiens de Scopo, exercitum jussit totum quod erat usque muros spatium complanare. Cunctis igitur maceriis ac sepibus dirutis, quibus hortos ac praedia incolae praemunierant, omnique opposita, quamvis frugifera silva excisa, repletum est quidquid erat cavum et vallibus impeditum; et humiliorem totum illum tractum a Scopo usque ad Herodis monumenta fecerunt, Serpentium Stagnum continentia, quod olim Bethora vocabatur. — B. J. 5, 3, 2.

§. 46. Seditiosorum audacissimi extra muliebres (quae sic appellabantur) progressi turres, recedentes (Romanos) usque ad Helenae monumentum, urgendo jaculis sequebantur. —

Intervallo, quod usque ad muros civitatis erat, per quatriduum coaequato, militum validissimos a septentrionali tractu ad occiduum septemplici ordine contra murum praetendit. — Ipse quidem Titus, cum prope duobus stadiis abesset a muro, ad anguli ejus partem contra turrim, quae appellatur Psephina, castra ponit; ad quam muri ambitus ex aquilone pertinens, flectitur ad occidentem; altera vero pars exercitus, eam turrim versus, quae appellatur Hippicos, muro circumdatur, duum stadiorum spatio similiter a civitate discedens, decima tamen legio in Olivarum monte, ubi erat, manebat. — B. J. 5,3, 3, 5.

XIV.

DIE ANGRIFFE DER ROEMER GEGEN DIE ERSTE MAUER.

§. 47. Titus cum lectis equitibus foris circuiens, qua muros aggrederetur explorabat. Haesitanti autem, quia nec ab ea parte adiri poterat pedibus, qua valles erant, et ab alio latere, prior murus machinis firmior videbatur, placuit ad Joannis pontificis monumentum (hic enim tantummodo et primus humilior erat, nec secundo muro conjungebatur) invadere. Neglecta enim fuerat munitio, propterea quia non satis nova civitas frequentabatur. Sic in tertium murum facilis aditus illac erat, per quem superiorem civitatem, et per Antoniam templum capi posse cogitabat.

Caesar jubet aggerem construi. Perfectis operibus, arietes applicant — Titus ex tribus partibus murum pulsari jubet, et tamen murus ictibus

non cedebat — Excurrunt omnes (Judaei) qua turris erat Hippicos, porta latenter, ignemque operibus (Romanorum) injiciunt. Usque ad castrorum quoque munimenta in Romanos animati procedebant, donec imperator equitum valentissimis comitatus, in hostes irruit, et omnes compulit in civitatem, et aggeres liberavit incendio. — B. J. 5, 6, 2. 4. 5.

§. 48. Tres turres imperator Titus quinquagenum cubitorum construi praecepit, ut bis per aggeres singulos positis, hinc hostes in muro stantes facilius in fugam verteret — Judaei male turribus affecti sunt; machinis enim levioribus, et jaculatoribus, ac sagittariis saxorumque tormentis inde feriebantur — Arietes sine intermissione ferientes paulatim aliquid proficiebant.

§. 49. Itaque muro jam cedente magno arieti Romanorum, quem Judaei Nicona vocabant, quod omnia vinceret, murum sibi supervacuum esse credentes, quibus alia duo munimenta superessent, plurimi recessere. Cum autem Romani, qua primum murum Nicon perruperat, ascendissent, ad secundum omnes Judaei, relictis custodiis refugerunt, portis autem Romani, qui transierunt, patefactis exercitum recepere. Et hi quidem hoc modo potiti muro, quinto nonas Maji, et partem ejus maximam diruunt, et septentrionalem civitatis regionem, quam ante Cestius vastaverat. — B. J. 5, 7, 1 2.

XV.

DIE ANGRIFFE GEGEN DIE ZWEITE MAUER.

§. 50. Titus autem, notato qua Assyriorum castrum est, militem transfert, occupato omni quod inter Cedronem fuerat spatio, et ultra sagittae jactum a secundo muro separatus, oppugnationem statim aggressus est. — Tunc igitur partiti murum Judaei, fortiter restiterunt. Et Joannes quidem ejusque socii ex Antonia et septentrionali porticu templi ab Alexandri monumento pugnabant. Simonis autem manus juxta monumentum Joannis aditum clauserant, usque ad portam, qua in Hippicon turrim aqua inducebatur. — B. J. 5, 7, 3.

§. 51. Septentrionali parte, mediae turri applicat arietem. — Capit hac parte murum Titus, die quinto postquam primum ceperat; fugatisque inde Judaeis, intro cum lectis mille transit, quos circa se habet armatis, ubi nova civitas et lanae venditores erant, fabrique aerarii, vestiumque mercatus, et ad murum angustae viae transversae tendebant. — Muro potitus, totam ejus septentrionalem partem statim deposuit: in meridiana vero per turres praesidia collocavit. — B. J. 5, 7, 4; 8, 1—2.

XVI.

MISSLUNGENE ANGRIFFE GEGEN DIE DRITTE MAUER.

§. 52. Iamque tertium murum Titus aggredi cogitabat. Videbatur autem brevissimi temporis ejus obsidio, spatiumque consilii seditiosis esse dandum, si quid disturbatione secundi muri, aut famis metu remitterent. —Cum dies advenisset, quo militibus oportebat alimenta distribui, in conspicuo hostibus loco ductis, jussit duces ordinato exercitu, pecuniam singulis numerare. Illi prolatis armis ex involucris muniti procedunt, — locaque suburbana auro argentoque lucebant. Spectantibus et vetera plena erant moenia et septentrionalis regio. Quatriduo per singulas legiones alimenta consecuti sunt. Quinto autem die, cum omnia faciens Titus, nihil Judaeos pacatum cogitare sensisset, bifariam diviso exercitu, Antoniam versus, et ad Joannis monumentum aggeres inchoavit, ista parte superiorem civitatem captum iri cogitans, et per Antoniam templum; namque hoc nisi cepisset, ne oppidum quidem tutum erat obtinere. — In utraque parte duo aggeres erigebantur. Juxta monumentum operantes, a Judaeis et Simonis sociis infestantibus prohibebantur; ad Antoniam vero ab Joannis sociis cum multitudine Zelotarum. Machinis jam uti didicerant (Judaei), habebantque ballistas trecentas et quadraginta tormenta saxorum. — B. J. 5, 8, 2; 9, 1. 2.

§. 53. A Romanis duodecimo die mensis Maji aggeres inchoati, vix nono et vigesimo perfecti sunt. Ingentes quatuor jacti sunt: unus ad Antoniam, contra medium stagnum, quod Struthium vocatur; alter viginti cubitis distans; tertius in septentrionali parte, ubi stagnum est, quod appellatur Amygdalon; quartus ad pontificis monumentum — Corruptis autem (flamma) aggeribus, Romani moerore tenebantur, quod tam longum laborem una hora perdidere, et multi quidem solutis machinis captum iri civitatem jam desperabant. — B. J. 5, 11, 4—5.

XVII.

DIE UMWALLUNG ODER BELAGERUNGSMAUER DES TITUS.

§. 54. Titus cum ducibus quid fieret deliberabat. Ipsi videbatur debere totam muro cingere civitatem — Coeptum a Castris Assyriorum, ubi ipse tendebat etc. vide antea III. §. 20. — B. J. 5, 12, 1—2.

XVIII.

DIE ANGRIFFE GEGEN ANTONIA UND DEN TEMPEL.

§. 55. Titus iterum aggeres inchoabat, quamquam difficulter ma-

teriam reperiret; — et ad Antoniam solam, ex quatuor partibus, majores prioribus aggeres struebantur. — B. J. 5, 12, 4.

§. 56. Romani intra viginti et unum dies aggeres erexerunt — Calend. Julii tentata fuerat expugnatio. Fundamenta manibus et vectibus suffodiebant — Saxis quatuor obstinato labore concussis, murus arietibus labefactatus, subsidente cuniculo, repente labitur — Romanorum autem inopinatam laetitiam ex celeri subversione natam, conspectus alius murus, quem intrinsecus Joannes aedificaverat, cito restinxit — Undecim Romani ascendunt murum, sed tres perierunt, et octo sauciati detracti. — B. J. 6, 1, 1. 3. 4. 6.

§. 57. Biduo post, viginti de numero excubantium per aggeres congregati, nona noctis hora per ruinas ad Antoniam otiose procedunt; occisis primis custodibus, somno oppressis, murum obtinent, atque buccina signum dari praecipiunt — Caesar, signo audito, propere armat exercitum, et cum ducibus primis, lectorum caterva comitatus ascendit —

Cum autem Judaei ad templum interius confugissent, ipsi quoque per cuniculum irruperunt, quem Joannes adversum Romanorum aggeres aperuerat. Dispositique amborum agminum seditiosi, tam Joannis quam Simonis, arcebant eos summa vi atque alacritate repugnandi —

Judaeorum animi Romanorum peritiam vincebant, et tota acies pellebatur. — B. J. 6, 1, 7.

§. 58. Titus militibus imperat Antoniae fundamenta diruere, facilemque ascensum cuncto exercitui praeparare. — B. J. 6, 2, 1.

XIX.

DIE ANTONIA WIRD RASIRT, UND DER WEG DADURCH GEEBNET ZUM ANGRIFF GEGEN DEN TEMPEL.

§. 59. Tricenis de singulis centuriis viris fortissimis lectis, etiam chiliarchis singulis millenos attribuit, hisque duce praeposito Cereali, hora noctis nona jubet in custodias impetum fieri — Progressus ad speculam in Antonia, quid fieret exspectabat — Nona hora noctis coepto proelio, quinta diei dissoluti sunt, cum neutri eo loco, unde pugnam iniere, certa fuga cessissent — At Romanorum reliqua manus, die septimo subversis Antoniae fundamentis, latam viam usque ad templum fecit, admotaeque muro legiones, mox aggeres inchoabant: unum contra interioris templi angulum, qui ad septentrionem orientemque spectabat; alterum contra exedram, ad aquilonis partem, inter duas portas aedificatum; aliorum duorum unum contra porticum occidentalem templi exterioris, alterum contra septentrionalem. — B. J. 6, 2, 5—7.

XX.

MEHRERE TEMPELPORTIKEN ANGEZUENDET, THEILS VON DEN JUDEN SELBST, THEILS VON DEN ROEMERN.

§. 60. Judaei, adversis proeliis male tractati, tumescente paulatim bello, et in templi serpente perniciem, porticus partem, quae ab aquilone in orientem pertinens, Antoniae jungebatur, incenderunt, deinde ad viginti fere cubitos abrupere. Biduo autem post, praedicti mensis (Julii) vicesimo et quarto die, Romani porticum inflammavere, et usque ad quartum decimum cubitum igne progresso, Judaei similiter culmen abjiciunt, neque omnino recedentes ab operibus, et Antoniae continentiae dirimentes, cum liceret eis ac deberent incendium prohibere. Itaque, immisso igne, cursum ejus otiose pro sua utilitate metiebantur. —

Iisdem diebus quidam ex Judaeis, Jonathas nomine, progressus ad Joannis pontificis monumentum, quem fortissimum haberent Romani, ad singulare proelium provocavit. — B. J. 6, 2, 9—10.

§. 61. Multi seditiosorum (post captam Antoniam), congregati in praesidia Romanorum, quae Olivarum montem versus collocata erant, circa undecimam diei horam impetum faciunt — Judaei autem in fugam versi, atque in vallem coacti, frustra conabantur murum transcendere ac perrumpere. — B. J. 6, 2, 8.

§. 62. Vicesimo septimo die praedicti mensis, seditiosi templum tenentes, occidentalis porticus spatium, quod inter culmen et trabes erat vacuum, silvis aridis, sulphure ac bitumine replevere. Deinde velut oppressi cedebant. Quare multi (Romanorum) temerarii, in porticum ascendere positis scalis nitebantur. Porticu repleta his qui ascenderant, ignem immittunt Judaei. Statim ignis fugientes (Romanos) comprehendebat, plurimum pervagatus, et universi cecidere. —

Exusta est porticus ad turrim usque Joannis, quam ille belli tempore, quod cum Simone gerebat, supra postes qui in Xystum ducerent, aedificaverat. Reliquum vero Judaei, postquam consumpti fuerunt, qui ascenderant, absciderunt. Postero autem die Romani quoque porticum, quae in Boreae parte fuit, ad orientalem usque totam incendunt, continentem angulos ejus, quae appellatur Cedronis, super vallem aedificata, unde etiam profunda erat, et horribilis ejus altitudo. — B. J. 6, 3, 1—2.

XXI.

DER TEMPEL ANGEZUENDET UND EROBERT.

§. 63. Octavo die mensis Augusti, cum duae legiones aggeres perfecissent, ad exhedram occidentalem templi exterioris admoveri arietes

jussit (Titus), cum diebus ante sex, qui firmissimus erat aries, parietem sine intermissione pulsando, nihil omnino profecisset. Verum et hujus et caeterorum magnitudinem structura lapidum superabat. — Septentrionalis autem portae alii fundamenta suffodiebant, multumque fatigati, exteriores tantum lapides evellere potuere, ab interioribus autem portae sustinebantur; tamque diu mansere, donec instrumentorum et vectium conatibus desperatis, Romani scalas porticibus applicuere. —

Judaei eos, qui una ascenderant, interficiunt, caeteri clade intereuntium perterriti descendunt. — B. J. 6, 4, 1.

§. 64. Titus ignem portis subjici jussit, liquefactoque argento cito lignum flammae absumpserunt, cum subito auctae proximas inde porticus corripuere — Judaeis ignem circum se videntibus, corpora simul animique ceciderunt. Stantes aspiciebant — Illo quidem die, et quae secuta est nocte, crescebat incendium — Ignem restingui jubet Titus, sed mandata se audire dissimulant (duces). — Judaei, postero die collectis viribus, et recepta fiducia, per orientalem portam contra templi exterioris custodes, secunda hora diei procurrunt, donec circa horam quintam vi coacti, templum introire conclusi sunt. — Titus discessit in Antoniam, decreto postridie mane cum omni exercitu aggredi, templumque oppugnare. — B. J. 6, 4, 1—5.

§. 65. Militum quidam, non exspectato cujusquam edicto, a contubernali suo sustollitur, et ex ardente materia raptum ignem in fenestram inserit auream, unde ad membra circa templum aedificata de septentrionali regione aditus erat.

Flamma excitata dominabatur — Praeterea quidam miles ignem cardinibus portae subjecerat.

§. 66. Templum hoc modo, invito Tito, exuritur (decimo die mensis Augusti). — Romani, quod frustra se circum templum aedificiis parcere judicabant, cum ipsum templum arderet, omnia simul incendunt, et quidquid ex porticibus reliquum erat, et portas. — B. J. 6, 4. 5. 7; 5, 2.

XXII.

DIE ROEMER ZUENDEN DAS ARCHIV, DAS RATHHAUS, DAS OPHLA-QUARTIER UND ACRA AN.

§. 66. Tyranni (Joannes et Simon) cum sociis, Titum ad colloquia provocant — Ille saltem oppidum servare cupiens, in parte occidua templi interioris consistit. Hic enim super Xystum erant portae ac pons, qui civitatem superiorem templo jungebat, isque tunc inter tyrannos ac Titum interveniebat — Postero die (Romani) Archivum, et Acram et

Curiam et locum, qui vocatur Opbla, succendere, et progrediebatur ignis usque ad Helenae regiam, quae in media erat Acra. — B. J. 6, 6. 2. 3.

XXIII.

DIE JUDEN NEHMEN IHRE ZUFLUCHT ZUR OBERSTADT ODER SION, WO DIE KOENIGSBURG LAG.

§. 67. Seditiosi ad domum regiam profecti, ubi (quia tuta erat) multi facultates suas deposuerant, et Romanos hinc pellunt, et omnibus popularibus, qui eo convenerant, prope ad octo millia et quadringentos occisos, pecuniam etiam diripuere. — Postremo autem die Romani, versis in fugam ex inferiori civitate latronibus, omnia ad Siloam usque igni tradidere, et oppidum quidem gaudebant absumi. — Latrones in superiorem civitatem recedebant. — Spes ultima sita in cloacis — Subterraneis freti. — B. J. 6, 7, 1—3.

§. 68. Nam Tito quidem etiam fontes nunc uberiores profluunt, qui prius vobis aruerant. Denique ante ejus adventum scitis et Siloam, et omnes extra civitatem fontes adeo defecisse, ut ad utrumque aqua mercaretur; nunc autem ita hostibus nostris largi sunt, ut non modo ipsis et jumentis eorum, sed etiam hortis sufficiant. — B. J. 5, 9, 4.

XXIV.

DIE ANGRIFFE GEGEN DIE DRITTE ODER ALTE MAUER, UND EROBERUNG DER OBERSTADT ODER SION.

§. 69. Caesar fieri non posse prospiciens, ut sine aggeribus superiorem caperet civitatem, in praerupto undique loco sitam, distribuit operibus militem vicesimo die mensis Augusti — Quatuor legionum opus in occidentali parte civitatis contra aulam regiam erigitur. Auxiliarium vero manus, et caetera multitudo Xystum versus, ac pontem et Simonis turrim; quam cum Joanne bellum gerens, pro castello sibi aedificaverat. — B. J. 6, 8, 1.

§. 70. Jam vero perfectis aggeribus, Septembris mensis die septimo, qui erat a coepto opere octavus et decimus dies, Romani machinas admovebant — Seditiosorum alii, qui civitatem desperaverant, muris relictis, in Acram recedebant, alii se in cloacas demittebant. —

Multi dispositi prohibebant eos, qui arietes applicarent; hos autem superabant multitudine ac virtute Romani. —

§. 71. Cum pars esset aliqua muri subruta, nonnullaeque turres arietibus pulsatae cessissent, statim propugnatores earum diffugiunt; timor etiam tyrannos necessitate major invadit — Conati sunt quidem (seditiosi)

ambitu et muro, quo moenia cingebantur, invaso atque perrupto, custodes pellere, atque egredi; cum vero quos antea fideles habuerant, nusquam viderent, fugiebant quo quemque necessitas impulisset. —

Adeuntes alii, cum totum ab occidente murum subversum esse nuntiarent, alii subiisse Romanos ac etiam propinquare se quaerentes, alii etiam videre hostes in turribus affirmarent, metu fallente conspectum, veluti succisi nervos, qua fugerent haesitabant. — Tyranni siquidem semetipsos tuitione privavere, ac sponte de turribus descendere. Romani, qui tantum in muris inferioribus laboraverant, eos quos instrumentis non potuissent, nunc fortuna cepere.

§. 72. Relictis itaque his (tribus turribus inexpugnabilibus), confestim quidem ad vallem Siloam confugere; rursum autem, ubi a metu paululum respiraverunt, munitionem, qua murus erat accinctus ex ea parte petiere, sed a custodibus retruduntur, et per diversa disjecti, in cloacis delitescunt.

§. 73. Romani vero muris potiti, signa in turribus posuere, et plausu atque laetitia victoriam et cantu celebrabant, quod principio finem belli multo senserant leviorem. —

Ardentibus Hierosolymis, illuxit dies Septembris mensis octavus civitati. — Intro Titus ingressus, cum alia civitatis deleret, murosque subverteret, eas turres (tres in antiquo muro) fortunae suae monumentum reliquit. — Romani extremas urbis partes incendunt, murosque subvertunt.—

§. 74. Jubet Caesar totam funditus jam eruere civitatem ac templum, relictis quidem turribus, Phasaelo et Hippico et Mariamne, murique tanto quantum civitatem ab occidente cingebat. Alium vero totum ambitum civitatis ita complanavere diruentes, ut qui ad eam accessissent, habitatam aliquando esse vix crederent. — B. J. 6, 8, 4. 5; 9, 1. 4 et 7, 1, 1.

XXV.

KOENIGLICHE PALAESTE IN JERUSALEM.

§. 75. Regiam (in superiore civitate) Herodes servabat cum paucis militibus. Ejus murum Phasaelus (Herodis frater) custodiebat. — A. J. 14, 13, 4.

§. 76. Cum igitur duas arces munitas in urbe haberet (Herodes), unam, in qua ipsius erat Regia, alteram vero juxta templum, Antoniam a se communitam visum est tertiam quoque munire, Samariam, mutato nomine Sebasten, quae foris totam gentem contineret in officio. Abest a Hierosolymis itinere unius diei. — A. J. 15, 8, 5.

§. 77. Rebus igitur in pristinam felicitatem restitutis, regiam in superiori urbis parte aedificavit (Herodes), exstructis aedibus amplissimis,

exornatisque auro et marmoribus et subselliis; domibus etiam pro cujusque dignitate appellatione indita, ut una diceretur Caesaris, Agrippae altera. — A. J. 15, 9, 3.

§. 78. Quin etiam domo sibi regia in superiori parte civitatis exstructa, duas aedes in ea aedificavit (Herodes), easque unam Caesaream, Agrippiam alteram nominavit. — B. J. 1, 21, 1.

§. 79. His autem (tribus turribus Herodianis) in septentrionali parte (muri antiqui) positis, intus aula regia conjungebatur, narratione omni praestantior. — Tota quidem muro per triginta cubitos edito cincta erat. Aequalis autem distantiae turribus ornatissimis ambiebatur, ornata virorum receptaculis et coenaculis rectorum centum capacibus. — Nec haec a Romanis incensa, sed ab insidiatoribus intestinis, et ab Antonia quidem omnia corripuit ignis; transiit autem in regiam, triumque turrium tecta corripuit. — B. J. 5, 4, 4.

§. 80. Agrippa Rex (junior) exstruxit insigni amplitudine domum prope porticum in regia Hierosolymitana, quae olim fuerat Asamonaei filiorum, sitam in edito loco, unde amoenissimus prospectus patebat contemplari urbem volentibus; cujus voluptatis rex cupidus, e cubiculo spectabat quidquid circa templum fieret. — A. J. 20, 8, 11.

§. 81. Monobazi aula. — B. J. 5, 6 1.

§. 82. Aula regia, quam Grapte aedificaverat, cognata Izatae, regis Adiabenorum. — B. J. 4, 9, 11.

§. 83. Superioris civitatis aliud castellum regia Herodis erat. — B. J. 5, 5, 8.

§. 84. Helenae regia, quae in media erat Acra. — B. J. 6, 6, 3.

XXVI.

DER TEMPELBERG ODER MORIA, UND DER TEMPEL.

§. 85. Tumulus erat petricosus, arduus a vertice, sensim versus orientale urbis latus resupinus.

Hujus verticem primus Solomon muro circumdedit. Radices quoque ejus alio muro cinxit. Cui versus austrum subjecta est vallis profunda. Hic murus constat saxis grandibus, plumbo inter se vinctis, complectens interius spatium et in profundum descendens, ut miranda sit magnitudo et altitudo structurae, forma quadrangulari. —

Hoc opus, postquam aequatum est vertice, cavitas quae intererat murum inter et tumulum, expleta est, ut, complanatis omnibus, fieret area, et circum quadriporticus quatuor stadiorum circuitu, singulis lateribus inter duos angulos per stadia singula patentibus; interius deinde

ipsum verticem ambit alius murus lapideus, cujus orientale latus, quam longum est, duplicem habet porticum, spectantem januam templi, siti in meditullio. Eam porticum priores reges adornaverant.

